Nobilissime Hugeni,

Primordium maioris operis, quo Belgarum res circumire destinatum est, ipse tibi in manus tradere constitueram, measque, quae, ni fallor, honestissimae sunt, destinationes humanitati tuae, quae summa est, commendare. Caeterum cum deprehendere praesens non potuerim, quem tamen unice quaerebam, literis ad te adeo, humanissime ~~Heroum~~. Huius enim virtutis nomine nunc mihi potissimum conveniendus es. Crastino die supremo huius Reipub. Ordini exempla operis tradentur. Qua in re votorum et ambitus summa est, ut tot per annos vacui Historiographi Foederatorum Belgarum munus in hunc hominem deveheri; qui ut ingenii sui tenuitatem non ignorat, ita plurimi, quae huc faciunt, neque vulgata hactenus sunt, quaeque frustra alibi quaerantur, instructum se agnoscit. Fidem fecerit vel primum operis specimen; maiorem longe sequutura facient. Hoc restat, Nobilissime virorum, ut non omnino aut me, aut destinationes meas displicere tibi isti intelligant, quorum sententia ac auctoritate opus est. Quod ut facias, etiam atque etiam nunc te rogo. Utinam vero quamprimum! Parum abest, quin addam, hodie. Vale, nobilissime domine. Lugd. Bat. CIƆIƆCXLIX. Aug. VIIII.

Nobilissimo nomini Tuo

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4967

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4967

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4967

Mijn heere,
de heere van Zuijlechem,
Ridder, Raedt ende Secre-
taris van sijne Hoocheijt,

port. Hage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4967